ORATIO ENCOMIASTICA IN TRANSLATIONE CORPORIS D. ANTONINI...

Tommaso Buoninsegni

Digitized by Google

Digitized by Google

1035.45

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1035
45

Digitized by Google

XXVIII

BONINS


Digitized by Google

1035.45

A I

ORATIO ENCOMIASTICA IN TRANSLATIONE CORPORIS D. ANTONINI ARCHIEPISCOPI FLORENTINI EX ORD. PRAED. ASSVMPTI.

Per F. Thomam Boninſiguium, ſacram Theologiam in Florentino gymnaſio publicè profitentem.



FLORENTIAE,
Apud Bartholomaeum Sermartellium.
MDLXXXIX.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Digitized by Google

1035.45

Digitized by Google

FERDINANDO MEDICEO AETRVRIAE MAGNO DVCI SERENISSIMO.

F. Thomas Boninſignius.

DIVINO planè conſilio, ſingularique prouidentia factum eſſe ſum arbitratus, princeps Sereniſsime, vt hæc ſacra D. Antonini corporis depoſitio ſacris, ac lectiſsimis nuptiis tuis iungeretur, vt ſacrum ſacro ornetur, ac perinde illuſtretur. Sacræ quidem ſunt nuptiæ, myſterium coniunctionis verbi & eccleſiæ referentes, quemadmodum apoſtolus conteſtatur, quas etiam Chriſtus Dominus ſua præſentia aduerſus Tatianos exornare voluit. Quæ igitur in tanti viri laudem hac mea oratione dicuntur, excelſo nomini

Digitized by Google

tuo nuncupanda, dicandaq; iure ipſo veniunt, vt ſiquid in ea ſubobſcurum, aut minus nitidum, minuſq; comptum exiſtit, ſub ſplendidiſsima ſerenitatis tuæ luce, clarum, pulchrumq; reſplendeat. Vale princeps fœliciſsime, & me ſub vmbra alarum tuarum protege.

ORATIO

ORATIO ENCOMIASTICA IN TRANSLATIONE CORPORIS D. ANTONINI ARCHIEPISCOPI FLORENTINI EX ORD. PRAED. ASSVMPTI.

Per F. Thomam Boninſignium ſacram Theologiam in Florentino gymnaſio publice profitentem.

CVM ingentem, ac pæne incredibilem conuentus huius veſtri celebritatem, ampliſſimum, ac perilluſtrem cœtum intuerer, & diuinę gratiæ munera, quę in ſanctiſſimi patris Antonini corporis translatione reſulgent contemplarer, planè imparem me (fateor) huic muneri iudicabam, nec fieri poſſe, vt ſermone abſoluerem, quod vix poſſimus animo concipere, ſperabam. Magnam enim, & pręclaram hac die iucunditatem, magnam equè huic ſancto ſuo omnipotens prorogauit ſolemnitatem. Vobis autem Florentini viri, dies nec ſplendidior, nec auguſtior illuxit vnquam, nec in qua lætari, aut exultare iure magis vobis liceat, poſteaq; pio dudum accenſi deſiderio, larga omnipotentis Dei miſeratione in tantam animi fiduciam ſumus promoti, vt pretioſiſſima ſancti patris pignora, quæ nulla auri, vel argenti copia dignè comparari poſſent, & intueri oculis, & frui ſenſibus, & contrectare ma-

nibus

by Google

nibus, vos ipſi valcatis. O verè beatos vos, quibus hodie illius corporis puluerem videre datum eſt, quod perua-ſit hanc baſilicam, hoc veſtrum ſolum, plateas, vicos, ſuburbia, ex quo lux illuxit, quo vis fulgore lucidior, & vox intonuit, quouis tonitru demonibus terribilior. O perbeatam ciuitatem Florentinam, quæ hodie puluerem illius oris conſpicis, per quod magna loquutus eſt Chriſtus, quodq; loquutus magiſtratibus, & poteſtatibus ſupremis, & non erubuit, cuius vim demones fugiebant, cuius verbis inſtituti ſunt omnes ritus, ac cæremoniæ metropolitanæ huius eccleſię, quin ea quoque, quæ in cœlis ſunt, quomodo voluit adminiſtrauit, ligans, & ſoluens quos volebat, pro data ſibi poteſtate. Nihil enim aliud ſpirabat, quam ſermonem pium, & huius eccleſiæ Florentinæ ſalutem. O te fortunatam Florentiam, quę puluerem illius cordis intueris, quod in vnoquoque eorum, qui peribant inflammabatur, quod eſt cęlis ſublimius, orbe terrarum latius, radio ſplendidius igne calidius, in quo Chriſtus vixit. Fuit enim cor illius, cor Pauli, & tabula ſancti ſpiritus, & liber gratiæ, quod dignum fuit habitum, vt Chriſtum amaret. O te inq; fœlicem Florentiam, quæ illius oſcularis manus, per quarum impoſitionem ſpiritus impartiebatur, & tot Sacerdotes conſecrabantur, per quas tot volumina conſcripta fuere, illorumque oculorum puluerem intueris, qui ad tuam ſalutem ſemper aduigilarũt, quorumque lachrimis reſtincta ſunt tua delicta. Non minori certe lętitia, & celebritate, hæc in tranſlatione tanti corporis debet à te honorari feſtiuitas, quàm illa, quæ ſua de dormitione celebratur ſolemnitas. Quid enim aliud præfefert, quid que oculis, atq; obtutibus noſtris hæc ſacri, puriſſimiq; corporis extumulatio repræſentat, ex ſepultura illa, quã modò cernimus, ſub qua triginta vltra centum annos, theſaurus ille abſconditus delituit, atque ad hanc lucem reuocatio, vt honorificentiſſimo loco, pulcherrimoq;

mauſoleo

mauſoleo regio pænè ſumptu, ampliſſima liberalitate, eximioq; ſplendore, à nobiliſſimis duobus fratribus ciuibus tuis, mira arte ornatiſſime extructo, vbi auro, lapidibuſq; prætioſis omnia ſplendent cõderetur, quam beatorum corporum futura exurrectio, & gloria, ac totius fælicitatis pleniſſima conſumatio, quam ſanè votis omnibus expectunt generoſæ, atque excelſæ illæ animæ, quę in cœlis ſunt? Quid obſecro ſignificat, quid obſtentat, atque indicat hic ingens faſtus, hæc tam magna celebritas, huius ſacri templi pulcherrimus apparatus, quid tot cerei, tot luminaria, quid lectulus ille auro nitẽs, in quo iacens corpus conſpicitis, quid vmbella prætioſa, quid pſalmorum, himnorumque cantilenæ, quid tam frequens conuentus, ac populorũ excurſus, ac veluti inundatio, quid tot illuſtrium virorum corona, & conſeſſus niſi cœleſtis Hieruſalem imaginem, ac triumphantis eccleſię ſpecimen, & decus quoddam eximium, & exultationem, & gaudium, & lętitiam ſempiternam, atq; vberrimum tripudium, perennemq;, quæ nunquam deficit iubilationem, propter ſanctos ciues ſuos, ac domeſticos Dei, quos intra ſua mœnia ex viuis lapidibus constructa ſumma cum fælicitate recipit? Vos non latere arbitror, viri Florentini, quanto honore, quantaq; veneratione apud pios chriſtianos ſanctorum reliquiæ habitæ ſint. Fuit nanq; in illis colendis priſcus mos, & conſuetudo antiquiſſima, ſtudium, & conatus maximus. Sanctorum enim corpora, tanquam opes, & theſaurum chriſtiani habent, quæ vrbes reddunt illuſtres, earum ſunt ornamentum, turres, theſauri, munimem, opes inuiolabiles, demonibus flagellum, ęgrotantibus ros, & certa medela, Spiritus ſancti templa, ad eorum virtutem emulandam excitant; Quid quòd & demones, ne reſponſa dent ſilentio premunt, illos cruciant, & expellunt, tempeſtates frenãt, & feras indomitas manſuetas reddunt. Quapropter reliquiis ſancti Marci Alexandria nihil prætioſius

 habuit.

habuit. An ignoratis, quanta honoris celebritate tranſlatæ, ac depoſitæ fuerint reliquiæ ſanctorum Nazarii, Geruaſii, Protaſii, & Celſi? Ambroſius ille virtute clarus, qui tunc decorabat ſedem eccleſię Mediolanenſis, is primus eſt exequutus miniſterium tranſlationis, vt cui nõ illotis (quod dicitur) manibus ſed valde mundis munda fuerint credita. Theodoſius imperator ille magnus, qui tunc agebat Mediolani aduerſus Maximum tyrannum decertans, cùm accepiſſet partem ſacrarum harum reliquiarum, pro quibuslibet ſpoliis, & mancipiis, aut potius pro quibuſlibet armis, & monumentis in urbem detulit regiam, iis, que ipſe vidit miraculis confirmatus, & aduerſus Scytas ſocios inexpugnabiles aſſequutus martyres. Idem in Philippico belli duce ſtrenuo videre licet, qui ef flagitauit, vt ſanctorum reliquiæ, quò tutius in oriente expeditiones militares faceret ad ipſum mitterentur. Reliquias pariter ſancti Simeonis Stilitæ pro muro, & munitionibus retinendas ſibi cenſent Antiocheni, idque ab imperatore Leone obnixè poſtulãt. Triphonis etiã Phrygii martyris reliquias volebant Nicenſes recõdere, vt eſſent cuſtodes ſuæ ciuitatis. Quis autẽ neſciat maximam honorificentiam D. Ioannis Criſoſtomi corpori dum Bizantiũ tranſueheretur fuiſſe exhibitam? Totus plane Tracię boſphouis lampadibus, ac luminaribus tanquam circumuelatus, plenus fuit. Ob reliquias ſancti Babilę Antiocheni epiſcopi, & martyris iuſſu Galli Cæſaris tranſlatas in Daphe reſponſum dare Apollo ceſſauit. Nolo autem prætenire, Viri Florentini, quod iucundiſſimum fore non dubito, de corporibus ſanctorum Vitalis, & Agricolæ Diuo Ambroſio diuinitus reuelatis, atque ad vos ex Bononia ab ipſo translatis, & in hac veſtra ciuitate ſub altari depoſitis, in baſilica ab eo conſtructa, quæ hodie Diuo Laurentio dicatur, à magno illo Coſmo ſeniore patre patriæ, ob res ab eo, tum domi, tum foris mirificè geſtas nuncupato magnificentiſsimo ſumptu inſtaurata, atque exornata.

Regebat.

Regebat tunc eccleſiam hanc Florentinam Xenobius vir ille ſanctitate,non vobis ſolis,ſed toti terrarum orbi conſpicuus, ac longe clariſſimus. Quo verò honore; qua pompa,quantaq; celebritate annis non multis proxime elapſis Grægorius xiii. Pont. Max. ſacras Diui Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi reliquias, ex humili loco ad ſancti Petri ædem in ſacello illo Gregoriano (ſic enim vocant) maximis impenſis, ſumma magnificentiſſima tranſuexerit, ſciunt multi, qui Romæ tunc agebant, & hic modo adſunt, quorum vnus ego fui, qui ex illa ſolemnitate voluptatem magnam cœpi. Hanc maximam,& verè chriſtianam liberalitatem,ac piam magnificentiam emulari,magno, & excelſo animo voluerunt Auerardus, atque Antonius Saluiati Philippi filii, in extructione pulcherrimi illius ſacelli,quod videtis, quo ſanè nullum,neque ſublimius, neque concinnius, nec elegantius, aut ornatius viderim vnquam. Ea eſt nobiliſſimorum illorū patritiorum pietas, atq; erga Deum,& ſanctos religio. Neque id iniuria, quandoquidem illos non indignum fuerit, & columnas, & ſcopulos, & turres, & candelabra, & tauros, ſimul appellare. Nam eccleſiam ſicut columnę ſubſtinent, ſicut turres muniunt, & ſicut ſcopuli omnes vndarum aſſultus repulerunt, ſicut luminaria impietatis tenebras diſcuſſerunt, & ſicut tauri ſuaue Chriſti iugum traxere.

Inter hos hoc tanquam fulgentiſſimum ſydus ſplendet Antoninus, cuius ſacrum corpus modò lætiſſimi cernimus, & piè veneramur, & religioſè colimus. Quem quidem ſi aliqua mea oratione laudare voluero, vereor, ne tantarum laudum mole obruar, & nimio ſplendore oculorum aciem obtundam, quemadmodum ii, qui cœlum, & ſolis intuentur radios. Etenim ſi Antoninum laudo virtutem ipſam laudo, haud enim dubitanter dico, eum omnibus virtutis, & exemplar, & legem eſſe. Propterea qui virum hunc laudant neceſſe eſt, vt re ipſa ſe

victos

victos demonſtrent. Inſuper eum, quem laudandum ſuſceperunt ſermonum vi præſtantiorem eſſe fateantur. Verum, licet magnitudinem timeam conatus, modeſte tamen, & quantum à me præſtari poteſt verba facere ſtudebo, non vt Antonino aliquid gloriæ addam, nequaquam enim mare indiget fluminibus, neque ſoli lux addi poteſt. In eius autem laudatione non omnia percurram, aut conſectabor, quę de tãto viro dici poſſunt. Quis enim ad hæc idoneus? Neque etiam argumenta ea mihi ſumenda exiſtimo, quę a multis in prophanis laudibus adhiberi ſolent. Siquidem pulchritudinem, & fortitudinem, & ſtaturæ proceritatem, quibus multos ornari video laudare volentibus, iis relinquo, qui rebus ſtudent minutis, & circum corpora voluntantur, ne mihi quemadmodum inexpertis accidat pugilibus, qui vires temere, & ſuperuacaneis euacuant certaminibus, ac ideo inferiores ſuo tempore inueniuntur, in iis, ex quibus victoria acquiritur, & ob quæ coronæ pronuntiantur. Nobis autem nihil grande, nihil honorabile cenſendum eſt, quod non perducit ad virtutem. Aliis igitur aliæ quędam ſint nomenclaturæ, vel à maioribus, aut familiis deductæ, ſiue ab inſtitutis propriis; aut egregie geſtis, nobis vero res eſt magna, ac nomen ingens, vt chriſtiani nominemur, & ſimus, quo magis exultamus, quam Giges ille anulo (etiã ſi haud fabula eſſet) cuius ope lidorum aſſequutus eſt regnum, aut Midas olim auro, cuius gratia etiã periit, cum voticompos effectus eſſet, & nil, niſi aurum poſſideret, alia hæc fabula phrigia. Qui vero virtutis Antonini periculũ fecerunt, Minoem illum, ac Rhadamantum pro nugis habent, quos pratis aſphodelo refertis, & campis eliſiis græci donandos dixerunt, paradiſi videlicet noſtri ſpeciem quandam animo intuentes. Quis nanque prudentia perinde ita canus erat etiam ante caniciem? quandoquidem hanc ſenectutem etiam Salomon definiuit. Vnde Antoninus conſiliorum dicebatur. Siquidem

à teneris

Digitized by Google

à teneris, ac pueriliбus annis ingenii acrimonia adeo effulſit, ac diuinarum rerum contemplationi ſic aſſidue intentus, vt omnes illius ætatis in admirationem traheret. Quemadmodum in adumbratione picturę mox futura figurę pulchritudo indicatur, ſic in primeua ætate virtutis radii micare cæperunt. Quod diſciplinæ genus eſt, in quo verſatus non ſit, atque ita eximie verſatus, quaſi in eo ſolo elaboraſſet. Ad ingenii enim acrimoniam ſtudiũ accedebat, ex quibus imperium artibus, ſcientiiſq; comparatur. Quis in philoſophia excelſa procul dubio ſcientia, & ſurſum gradiente adeò profecit, ſiue eam partem ſpectes, quæ in actione conſiſtit, ſiue eam, quæ in ſpeculatione poſita eſt? Illud proculdubio exiſtimans veræ philoſophiæ ſtudium, nempe mundo perire, ac Deo adiungi, iis, qui pro infernis ſuperna commutant, inſtabiliбuſq;, & fluxis ſtabilia preferunt, & manentia. Quis in ſcientiarum omnium principe Theologia tanto ſplendore ſe omnibus conſpicuum, atque clariſſimum reddidit? Quis in vtriuſq; iuris prudentia illi præferri poteſt, quippe qui totum decretum vix adoloſcentiam attingens memoriter hauſerit? Quis in conſcribenda hiſtoria accuratior, cum exquiſita diligentia à mundi exordio omnium ſeculorum curricula egregie depinxerit?

Poſteaq; autem abunde diſciplinis illis inſtructus fuit, ipſumq; nihil pulchri effugit, cum nec apibus cederet laborioſis, quæ ex cunctis floribus vtiliſſima colligunt, & Chriſti iugum in dominicana religione ab adoleſcentia ſubiit, atque alacriter portauit, ſeq; obedientiæ, continentiæ, patientiæ, cœterarumq; virtutum formam exemplarem præbuit, ad excelſum Archiepiſcopatus thronũ euchitur, quam poteſtatem nec ſuratus eſt, nec per vim potitus, nec honorem eſt proſequutus, ſed ab honore quæſitus, nec humano fauore, ſed diuinitus, ac Dei gratia eſt conſequutus. Vos ſcitis Viri Florentini quàm grauiter ſenſerit, quàmq; moleſte tulerit onus hoc periculoſum,

Digitized by Google

culoſum, arduum, atq; tremendum, quantaq; humilitate nudatis plantis ingemiſcens ſubierit. In obeundo autem tam præclaro, ac diuino munere, qualem, quantumq; ſe geſſerit, & vitæ integritas, & morum probitas, & feruidus ergo Deum, atq; animas curandas zelus, & in miſeros miſericordia, ſatis abundè declarant, publici commodi procurator, mœrebat, angebatur, conuulnerabatur, nec aut ſomnū oculis, aut dormitationem palpebris concedebat. Conſpicite quæſo in hac veſtra ciuitate illud pietatis promptuarium, ipſius opera inſtitutum, vbi viri boni Diui Martini (ſic enim nuncupatis) eleemoſinis erogandis intendunt. Quid cū hoc opere Thebas ſeptem portas habentes, quid Egyptias illas comparem? Quid muros Babilonicos, & Caricum Mauſolei ſepulchrum, & pyramides, & coloſſos, & delubra, mira magnitudine, atque eleganti arte confecta, iam euerſa, & proſtrata, cæteraq; omnia, quæ homines admirantur, atq; hiſtoriis perdiderunt, ex quibus omnibus, præter inanem quandam, & exiguam gloriam, nulla prorſus vtilitas ad extructores redit. His ille ſibi artibus omnium gratiam conciliabat, miſeratione, iuſtitia, rectitudine ad aucupandos homines vtebatur, quibus ita ſuorum ciuium animos colligauit, vt beatos ſe, quod talem haberent præſulem acclamarent.

Coſmum quidem Medicem, vt cætera omnia prudenter, illud etiam ſapientiſſimè dixiſſe conſtat, magnis ſua tempeſtate Florentinam vrbem calamitatibus, maioribus tumultus bellici periculis, tum peſtilentię, annonę caritate, terremotibus, atq; imprimis fuiſſe inteſtinis ſeditionibus vexatam, quæ nobilem potuerūt euertere ciuitatem, ea omnia ſanctitate, ac precibus antiſtitem ſubmouiſſe. Is ille Coſmus eſt, quo nullus ditior, nullus prudētior, nullus denique in religioſum cultum ſuo tempore propenſior, Is tantum in ciuitate potuit, quantum voluit. Sed ipſe ſibi modeſtiam imperauit.

Sed adhuc in montis radicibus verſamur à vertice remoti, adhuc fretum traiicimus relicto profundo oceano. Quia magis aut virtutem coluit, aut vitium coercuit? Quis vel officio probè functis benigniorem, ac ſuauiorem, aut peccantibus ſeueriorem ſe ſe præbuit? vt pote cuius vel pertenuis riſus laudatio eſſet, & ſilentium obiurgatio, in propriam nimirum conſcientiam culpā explorans, ac puniens. Quis ſe ipſum magis ſpiritu purgauit, atque ita ſe comparauit, vt dignus eſſet, qui oracula diuina explanaret? Quis rurſus maiore ſcientiæ lumine illuſtratus eſt, atque in profunda ſpiritus proſpexit, & cum Deo, quæ Dei ſunt exquiſiuit? Audite quæſo nobiliſſimi viri. Sicut enim viſus haud facile à iucundis diuelli poteſt ſpectaculis, ita ſermo à narrationibus ſuauiſſimis. Laudatur apud Dauidem Solis pulchritudo, & magnitudo, & curſus, & velocitas, & vis, ac facultas, quippe qui ſponſum ſplendore, gigantem magnitudine referat, ac longè, lateq; progrediendo tantam vim habeat, vt ab extremis extrema eque colluſtret, nec locorum interuallis illius feruor vllo modo minuatur. Antonino vero noſtro pulchritudo virtus fuit, magnitudo Theologia, curſus perpetuæ virtutis agitatio, per quotidianos aſcenſus ad Deum ferens, potentia doctrinæ ſemen, ac diſtributio. Itaq; ne hoc quidem mihi dicere verendū eſt. in omnem terram ſonum illius exiiſſe, & in fines orbis terræ (vim illius verborum) quod de apoſtolis Paulus dixit, à Dauide mutuatus. Sed & facundiam, atque eloquentiam, vt il la ferebant tempora in eo minime deſideramus. Tunc enim exeruiſſe caput videntur cultiores literæ, quę tot ſeculis obrutæ, ac ſepultæ propemodum in tenebris iacuerant. Quod ipſum magna ex parte Coſmo ingeniorum fautori magno (referre acceptum ſi grati eſſe volumus) debemus. Itaq; Nicolao quinto vita functo, & in demortui locum Calixto tertio ſuffecto, Florentinus populus legatos, qui de more gratulatum Romam profecturi eſſent

 deligit.

deligit. Ii fuere Iannoctus Pandolphinus eques, Otho Nicolinus iureconſultus, Antonius Ridolphus, & Ioannes Medices Coſmi filius, viri proculdubio pręſtantes. Quò tamen legationi maior autoritas ineſſet Antoninum primo eſſe loco voluerunt. Admiſſis in conſiſtorium publicum certa die, in conſeſſu illo totius orbis celeberrimo, eum ſe Antoninus orando pręſtitit, tanto ſententiarum pondere, tanta verborum copia redundauit, adiecta actionis gratia, tum dulci quodam vocis ſono, vt ſtupore omnes maximo percellerentur, quod non Theologus, aut orator, ſed miſſus è cęlo fuiſſe angelus quidam eſſe videretur. Quæ res alterum ſubinde illi laborem iam confecto ſenio conflauit. Cum enim nomen ciuitatis ſua ſponte celeberrimum, multò ille reddidit ſua legatione celebrius, paulò poſt ad Pium ſecundum, qui Calixto ſucceſſerat collegis additis gratulatum miſit. Eos fuiſſe conſtat Angelum Acciaiolum equitem, Aloiſium Guicciardinum, Petrum Pactium, Gulielmum Oricellarium, ac Franciſcum Medicem. Neque tunc ſibi ipſi etiam orando ceſſit. Sed pari eſt etiam cunctorum plauſu celebratus. Pius vero quanti illum fecerit, vel ex eo licet coniicere, quòd cum ad pontificatum euectus, vellet conuulſis quibuſdam, quæ paulatim ad publicam iacturam, & morum lapſum irrepſerant romanam curiam in antiquum candorem, ac formam reuocare, mandaſſetq; eam prouinciam grauibus aliquot Cardinalibus, Antoninum quoque, vt peritum rerum, & integrum illis eſſe addendum indicauit, quanquam ea res vrgente tunc bellorum ſtrepitu in pacatiora tempora eſt dilata. Ad Fridericum quoque Cęſarem in itinere excipiendum, quem in Italiam rumor erat aduentare, legatus eſt à ſupremo magiſtratu deſignatus, quod ille munus fractus ſenio reiiciendum eſſe in alterum dicens recuſauit.

Age nunc, & rem in pauca conferamus. Cum multi viri tum in veteri, tum in nouo teſtamento pietate clari,

& illu-

Digitized by Google

& illuſtres fuerint, legiſlatores, militares, duces, prophetę, doctores, fortes vſque ad ſanguinis profuſionem, cum illis Antoninum noſtrum conferamus, atque hinc, qualis fuerit agnoſcamus. Adam Dei manu, ac delitiarum paradiſi, & prima lege dignus habitus eſt, attamen (ne quid ob parentis noſtri reuerentiam contumelioſè, dicam) pręceptum minimè ſeruauit. Hic autem, & illud accepit, & ſeruauit, nec ex ſcientiæ ligno incommodi quicquam accepit, nec verò dubito, quin flammeum gladium prętergreſſus, ad paradiſum peruenerit. Enos primus ſpe adductus, vt Dominum inuocaret. Hic autem non ſolum inuocauit, ſed quod inuocatione multò pręſtantius eſt aliis quoque pręedicauit. Enoch tranſlatus eſt, exiguum pietatis pręmium (fides enim adhuc in vmbris erat) hac tranſlatione conſequutus, viteq; ſequentis periculum effugit. Huius autem vita omnis nil aliud, quàm tranſlatio erat, quippe qui perfectè in vita perfecta probatus, & exploratus fuerit. Noe arcam fidei ſuę commiſſam accepit, & ſecundi mundi ſemina paruo ligno credita, atque aduerſus aquarum vim conſeruauit. Hic autem iniquitatis diluuium effugit, ſuamq; ciuitatem arcam ſalutis effecit, in vitiorum vndis facilè, & leniter ſupernatantē. Magnus Abraham patriarcha, & nouę victimę tractator, eū quem ex promiſſione acceperat beneficii autori referens victimam pròptam, & alacrem, atque ad cedem properā tem. Atqui non parua huius viri laus eſt, qui ſe ipſum Deo obtulit, nec quicquam in eius locum, tanquam ipſi par (quid nam enim illud eſſet) ſubſtitutum eſt, ſed plenè perfecteq; litatum. Iſaac etiam antequam in lucem ederetur promiſſus eſt. Hic autem ſponte ſe ipſum promiſit, ac Rebeccam, hoc eſt eccleſiam Florentinam, non procul quæſitam, ſed è propinquo aſſumptam vxorem duxit, nec per ſeruilem legationem, ſed diuino beneficio conceſſam, atque commiſsã, nec in filiorum prelatione circumuentus eſt, ſed vnicuiq; quid promerebatur,

cũ ſpiritus iudicio, & delectu ſine vlla fraude tribuit. Iam vero Iacob eam ſcalã, & columnã laudo, quã Deo vnxit, eius preterea cum eo colluctationem, quæcunque tamen illa erat, vt quidem ipſe opinor, humani moduli cũ diuina ſublimitate comparatio, & cõcentio, vnde etiam procrea te naturæ deu icte notam, ac ſimbolum gerit, quin & illius circa ouiũ gregem artificiũ, & fœlicitatem, & duodecim ex eo natos patriarchas, & benedictionum participationem, cũ egregia futurarũ rerũ predictione coniunctam laudibus veho. At huius quoque non conſpectam tantũ, ſed tranſitam, & per quotidianos virtutum gradus cõſcen ſam ſcalã laudo, & columnam, quam Deo nõ quidem vn xit, ſed erexit, quo impiorum facta notaret infamia, eamq; dimicationem quam non aduerſus Deũ, ſed pro Deo ſuſcepit, hereticorũ dogmata deiicientem, ac proſternentẽ ac præterea paſtoralẽ ipſius artẽ, in qua locupletatus eſt, plures oues inſignitas, quã ſigni expertes adeptus, elegãte item, ac numeroſam ſobolem ſecundũ Deũ progenitã, ac deniq; benedictionẽ, qua multos ſuffulciuit. Ioſeph frumenti diſtributor fuit, ſed AEgipti dumtaxat, neque id ſæpius, nec niſi corporeo modo. At hic, & omnium, & ſemper, & ſpirituali modo, quod quidẽ illa frumenti diſtributione, mea quidem ſentẽtia, longè præſtãtius, auguſtiuſq; cenſendum eſt. Angelorũ .n. panis ſermo eſt diuinus, quo aluntur, animæ Deũ eſurientes, ac cibum nonfluentem, & abeuntem, ſed perpetuò manentem expetentes. Moſes, & Aarõ in ſacerdotibus eius. Moſes qui AEgiptum vexauit, populum in ſignis multis, prodigiiſq; ſeruauit, intrã nubem proceſſit, duplicem legem ſanxit, literalem nimirũ externẽ, ſpiritualẽ internẽ. Aaron autẽ Moſis, & corpore, & ſpiritu frater pro ſalute populi præces, & ſacrificia ad Deũ adhibens, magni illius, & ſacroſancti tabernaculi myſtes, quod fixit Deus, & nõ homo. Vtriuſq; horũ ille emulus fuit, hereticos, & perditos homines nõ corporeis, ſed ſpiritualibus plagis excrucians, populũ autẽ acquiſitionis bonorum,

bonorũ operũ ſectatorem ad promiſſionis terram ducẽs, tabuliſq;,quæ non confringuntur leges,nõ iam obſcuras, & adũbratas,ſed omni ex parte ſpirituales inſcribens,atq; ideo in ſancta ſanctorũ nõ ſemel quot annis,ſed ſępius,& vt ita dicã quotidie ingrediens,ac poſtremò nõ perfluxas & caducas aſperſiones, ſed per æternas purificationes,populi ſui Floretini labes eluens.Quid pulcherrimũ habuit Ioſue?militare imperiũ,portionũ,diſtributionem,terręq; ſanctæ occupationem.Quid noſter Antoninus?nõ ne Imperator,non ne Dux eorũ,qui ſalutem per fidẽ aſſequuntur?non ne diuerſarũ hereditatũ, & manſionũ,quæ apud Deum ſunt aſſignator?quas militibus ſuis diſtribuit.Atq; vt iudices, & iudicum quoque clariſſimos prętereamus Samuel inter eos,qui inuocant nomen eius,atque ante natiuitatem donatus,& poſt natiuitatem confeſtim ſacer,& cornu reges,ac ſacerdotes vngens.Quid Antoninus,non ne à teneris annis Deo dicatus, & cum diploide Chriſto oblatus,& cœleſtia ꝓſpiciebat, & Chriſtus Domini erat? atq; vnctor eorũ,qui ſpiritualibus initiabantur chariſmatibus? Dauid inter reges clarus,& celebris, cuius cũ multæ de hoſtibus victorię,& triumphi hiſtoriis proditi ſunt,tũ præcipuum decus,& ornamentum eſt manſuetudo,& ante regiam dignitatem vis citaræ malũ ſpiritum incantans. Salomon cordis latitudinẽ à Deo poſtulauit,& obtinuit, eòque ſapientiæ, & cõtemplationis progreſſus eſt,vt omnes ętatis ſuę mortales nominis celebritate ſuperaret.Antoninus autem,niſi me opinio fallit, nec illi lenitatis, nec huic ſapientiæ laude,quicquam,aut minimũ certè concedit,adeo vt principum,& magiſtratuũ quoque,qui demonũ inteperus quandoq; agitabantur furore emolliret,nec regina tantũ auſtri,aut quidam dũtaxat homines ſapientiæ ipſius fama commoti,ad eum ſe conferrent, ſed omnibus orbis finibus ſapiẽtia ipſius nota eſſet. Heliæ libertatẽ orationis, quam aduerſus tyrannos exhibuit, ac per ignẽ raptum laudas? Heliſei etiam pulchram hereditatem,

melotem inquam illam, quam Heliç ſpiritus comitatus eſt. Huius quoque vitam lauda, in igne traductam, ideſt concertationum agmine, ac ſalutem per ignem partam, vrentem quidem illum, ſed non peruréntem, quod de admirando illo rubo ſcriptura prodidit, ſublimituiſq; illi conceſſam pellem, & pallium, nimirum carnem candore virgineo nitentem. Mitto rore perfuſos in flammis adoleſcentes, & in ventre ceti præcantem fugitiuum prophetam, atque ex beſtię præcordiis, quaſi è talamo prodeuntem, & iuſtum illum leonum furorem in lacu vincentem. Mitto ſeptem machabeorum dimicationem, qui cum ſacerdote, & matre in ſanguine, atque omnis generis tormentorum conſumati ſunt, quorum ille tollerantiam emulatus, gloriam quoque retulit. Tranſeo iam ad nouum teſtamentum, ac iis, qui hic laude, & gloriam floruerunt, ipſius vitam conferens, diſcipulum ornabo per doctores. Quis præcurſor Ieſu Ioannes? vt vox ſermonis, vt lucerna luminis, ante quod & in virtute exiliit, & ad inferos per Herodis furorem tranſmiſſus eſt, vt illis quoque mox venturum prædicaret. Quòd ſi cui audacior hęc fortè oratio videatur, illud potius cogitet, me in hac comparatione non id agere, vt ei, qui inter natos mulierum omnes ſuperauit, Antoninum anteponam, vel exęquem, ſed vt eum ipſius imitatorem fuiſſe, atque ex eius forma, & charactere non nihil in ſe ipſo geſſiſſe oſtendam. Non enim probis viris exiguam laudem affert ſummorum virorum, vel parua imitatio. An non philoſophiæ illius ſimulacrum perſpicuè in ſe ipſo expreſſit. Ipſe quoque in deſerto religionis habitauit. Ipſe quoque aſpera cilicina, & mordētis lanæ veſte, occultè tamen tectus eſt. Ipſe quoque idem cibi genus adamauit. Deo videlicet per continentiam ſe purgans. Ipſe quoque dignus eſt habitus, qui Chriſti pręco fieret, etiam ſi non præcurſor. Petri zelum, Pauli contentionem, & vim ardentis animi eſt imitatus, illorum inquam clari nominis

virorum,

Digitized by Google

virorum, atque vtriuſque fidem, filiorum Zebedei grandiloquentiam, diſcipulorum omnium frugalitatem, & rerum, quæ ſuperſunt contemptum. Nam Stephanus fieri, quantuis parato eſſet animo prohibitus eſt, pudore nimirum, ac reuerentia lapidantium impetu compreſſo. Indignum ſe martirio cenſuit. Quin poteſtates ipſum acerbè minitantes viro integerrimo, ac Dei zelo æſtuanti vltrò ceſſerunt, ac manus dederunt, & quaſi ad tonitrui ſonum ſe ſe ſubmiſerunt, conceptamq; prius aduerſus ipſum odii vim, in non minorem beneuolentiæ vim commutantes. Nam fortitudinis clauum, quem in tranquillitate tenuit, in tempeſtate non perdidit.

Cum autem curſu confecto, ac fide ſeruata diſſolutionis deſiderio teneretur, tempuſq; coronarũ inſtaret, atq; illud quidem non audiuiſſet, aſcende in montem, & morere, verùm morere, atq; ad nos aſcende, cum pœnè mortuus, atq; exanimis eſſet, maximaq; ex parte vita perſunctus, circa extremos ſermones robuſtior fit, vt cum pietatis verbis abſcederet. Iacebat ille extremos ſpiritus ducens, atq; à cœleſti choro, ad quem pridem oculorum aciem intendebat expetitus. Effuſa autem circum eum erat tota ciuitas, iacturam hanc egerrimè ferens, & diſceſſum, perinde ac tyrãnidem accuſans, eiuſq; animam, non ſecus ac, ſi retineri, atq; vel manibus, vel præcibus cogi poſſet arripere ſtudens, dementes enim eos calamitas reddebat. Nec quiſque erat, qui non aliquam vitę ſuæ partem, ſi fieri poſſet, illius vitæ addere forti animo paratus eſſet. Vt autem victi ſunt (oportebat enim eum hominem deprætendi) poſtremis his verbis habitis, oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos, adſtantibus, & pſallentibus ſui ordinis fratribus animam lætus exhalauit, non ante tamen, quam ſacroſancta doctrina eos, qui aderant non nihil inſtruxiſſet, extremiſq; alloquiis meliores effeciſſet.

Quo tempore ſanctus pręſul animam efflauit Pius ſecundus

Digitized by Google

cundus Rom. Pont. Florentiam appulerat, ad mantuanum conuentum, quem de comuni re aduerſus turcas indixerat profecturus. Is maxime Antoninum vti diximus obſeruans, nihil non ſibi de viri integritate, ac literis pollicitus, quantopere viuentem coluiſſet, officiis in defunctum præſtitis, declarauit. Funus itaq; diligenter, ac magnificè, pro viri, ac ciuitatis dignitate voluit curari. Neq; enim quicquam ea de re ſtatuerat Antoninus. Voluit itaque cõplures epiſcopos, & aliqua inſignes dignitate dum perageretur funus comitari. Ad hæc defuncti antiſtitis famiiliares lõgas, atq; atratas indutos veſte intereſſe. Hos pœnè magna eſt pars clariſſimorum ciuium, & qui plurimum autoritate poterant, vt honeſtarent viri ſanctiſſimi funus inſequuta. Primum itaque ad principem ędem ciuitatis portauere, vbi in cõſpectu Cardinalis S. Marci, mox Pauli ſecundi, qui extremo illo officio noluit amiciſſimo præſuli deeſſe, quæ de more ad funerales pompas adhiberi ſolent perſolutis, inde ad hoc D. Marci templum magna vi populi circumfuſa deduxerunt. Ita enim teſtamento Antoninus cauerat. Dum autem ad hanc baſilicam efferebatur, vnuſquiſque operam dabat, alius, vt fimbriam, alius, vt vmbram, alius, vt ſacriferum lectulum arriperet, ac vel ſaltem attingeret (quid enim illo corpore ſanctius, & purius?) alius, vt propius ad eos, qui corpus ferebant accederet, alius, vt aſpectu ſuo frueretur, tanquam eo quoque vtilitatis aliquid afferente. Plena erant fora, porticus hominum illum deducentium, præeuntium, proſequentium, aſſectantium, in ſe inuicem inſultantium, multa milia hominum omnis generis, & ætatis affuerunt. Tota nanq; ciuitas, veluti in publico luctu ad ducendum viri ſanctiſſimi funus properabat. Non ſenes, non paruuli, non mares, non fœminę domi conſtiterunt, Ad vnum omnes ad Diuum Marcum cucurrere, ibi ſancti viri manus lambere, ac pedes certatim oſculari, pars gemere, quidam lachrimari, non nulli ex alto pectore ſuſpiria

ria trahere. Nec verò ciuitas, ac ſuburbana tantùm concurſu frequentiſſimo ad rei famam conuolarunt, ſed ipſi nō ſe potuerunt montes, ac remota loca coercere. Paſſim itaque accurrebatur, ex vicinis vrbibus, oppidis, vicis, locis, campeſtribus, & montanis turmatim confluebant, quò poſſent antequam ſepulchro conderetur oſculari. Condonauit Pius ad eius ſanctitatis teſtimonium ſeptem annorum, ac totidem quadragenarum pœnam iis, qui ſanctum illud corpus, & manus oſculatum acceſſiſſent. Hinc factum eſt, vt aliis ſuper alios ad id agendum confluētibus, non niſi octauo ab interitu die condoretur, quo toto temporis ſpatio, non modò graue aliquid, aut fetulentum non oluerit, ſed ſuauem quandam flagrantiam ſpirans populos recreabat, ore autem venuſtior, & hilarior defunctus, quàm viuus fuerat videbatur. Quin manus, ac pedes adhuc mobiles, & tractabiles, quaſi tunc recens expiraſſet rugas nullas contraxerant, ſicuti nullus quoq; liuor reliquum corpus inquinauerat. Miracula verò, quæ tunc temporis, quemadmodum & antea ex ipſo fuſerunt enarrare mihi modò curæ non eſt, iis relinquo, qui poſt me luculentiori oratione dicturi ſunt.

At nunc quidem ille in cœlis eſt. illic etiam, ni fallor ſacrificia pro nobis offerens, & pro populo ſuo Florentino præces fundens, neque enim ita nos reliquit, vt prorſus reliquerit. Quid autem nos? Quid ego hac mea oratione conſequor? niſi vitam illius pingere, ac temporum comunem virtutis tabulam, ſalutiferumque omnibus eccleſiis, omnibuſque animis exemplum, in quod, velut in viuam quandam legem intuentes vitam noſtram dirigamus. Vobis autem, qui ab ipſo doctrina ſacra imbuti eſtis, quidnam aliud ſuaſerim, quam vt eum ſemper ſpectetis, & tanquam ipſe & vos videat, & à vobis videatur ſpiritu ipſo inſtruamini. Adeſte iam, & me circumſiſtite omnis illius chorus, non ſolum, qui ſacris dignitatibus prædìti eſtis, ſed etiam qui ordinis inferioris, tam qui ex no-

Digitized by Google

ſtris, quam qui ex exteris, encomium mecum conficite, alius aliam quampiam illius virtutem expetentes, & conquirentes, Qui thronis inſidetis legiſlatorem, qui Remp. geritis ciuitatis principem, ac velut conditorem, plebeii moderatorem, literarum ſtudioſi præceptorem, virgines pronubum, coniugatæ pudicitiæ magiſtrum, ſolitarii eum, qui vobis pennas addebat, cenobiaci iudicem, ſimplices itineris ducem, ſpeculationis amatores Theologũ, hilares frenum calamitoſi ſolatium, ſenes baculum, iuuenes pedagogum, pauperes largitorem, locupletes diſpenſatorem. Quin mihi quoque videntur, & viduę patronum ſuum laudaturæ, & orphani patrem, & pauperes pauperum amatorem, & peregrini hoſpitalem, & ægrotantes medicum, eum, qui omnibus omnia factus eſt, vt omnes, aut certe quam plurimos lucrifaceret.

Habes hęc à me Antonine ſanctiſſime, religionis noſtrę Dominicanæ decus eximium, ac totius eccleſiæ clariſſimum lumen, à me inquam conſeruo tuo, confratre tuo, filio tuo, qui in hac ſacra tua æde, me per religionis votum Deo dicaui, qui te ſemper dilexi, atque omni veneratione colui, qui preces meas quotidie ad ſacrum tuum tumulum effuſas in æternitatis luce intueris, qui doctrinam, atque eruditionem tuam legi, & didici, & in hac tua ciuitate per multos annos docui, & doceo, quę ſi ad virtutis tuæ meritum propè acceſſerint beneficium tuum eſt, te enim fretus hanc orationem inſtitui, ſin autem longè infra illius dignitatem, & ſpem tuam ſubſtiterint, quid facerem ego ſermone imperitus, & ſcientia parum callens? Quanquam Deo quoque gratum eſt, tibique etiam dulciſſime pater, quod pro viribus efficitur.

Tu vero ſacrum, & diuinum caput, è cœlo nos quæſo inſpice, peccatiq; ſtimulum à Deo nobis ad diſciplinam datum, aut precibus tuis ſiſte, aut certe, vt cum forti animo perferamus perſuade, atque omnium noſtrum vitam ad id, quod maximè conducibile eſt dirige, & nos poſteaquam

cx

Digitized by Google

ex hac vita migrauerimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe, vt ſimul viuentes, & ſanctam, & beatam Trinitatem, cuius nunc exiguam ſpeciem, & imaginem accepimus purius, pleniuſque cernentes, deſideriis noſtris finem ſtatuamus. Dixi.

Digitized by Google
99 956941

Z
1035.45

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google